



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Benedictvs Ab. 21. Mart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. BENEDICTVS AB. 21. *Mart.*

BENEDICTVS puer ludum cum cre-
mo mutavit, satis jam magnus phi-
losophus, qui terrena contemnere didi-
cerat. Ibi multò post malus Orci pul-
lus merulam mentitus, ingens sub ani-
mo libidinis incendium excitavit: sed
ille nudus in spinas abjectus sanguine
id extinxit; ut quando Poëta rosas o-
lim omnes candidas volunt fuisse, ex
his spinis primùm credam erubuisse.
Secundùm hæc cùm socios legeret,
multa admiratione digna fecit, multa
passus est. Illud lepidum etiam memo-
ratu. Discipulum, qui à divinis ante fi-
nem subducere se amabat, attentiori-
bus oculis arbitratus, vidit à Stygii co-
loris nano vestis orâ prehensum è tem-
plo trahi. Castigavit virgis vagum, &
ecce parvulus etiam ille è Styge Mau-
rus tergum, ne virgis daret, fugæ dedit.
At BENEDICTVS castra sanctissima
in monte Cassinate locavit: illic everso
Apollinis fano, postquàm veriora cùm
aliis multis, tum Totilæ imprimis o-
racula dedisset, famâ, & discipulis or-
bem impleffet, sibi etiam denique va-
tes sepulchrum parari iussit, & inter
suorum manus, ut Ducem decebat,
stans oppetiit. Mox duo Magistrum
capere viderunt in calos viam, amplam
illam & veste pulcherrimâ stratam,
mul-

multisq; luminibus coruscant. Eam tunc nescio quis Cælitum viam Benedicti; D. Bernardus illius leges dixit; ut jam mirum non sit, si eandem tot Pontifices & Reges calcarunt. Nam viam ad cælum expeditam & jucundam quærebant, vel mundo Doctore, *Ex S. Greg. M.*

S. CATHARINA SVECA V.
22. Martii.

INfans CATHARINA respuit impurarum nutricum ubera, castarum ambiit, Veneris jam in cunis hostis. Puella pupas tractavit; sed cum pupas induti demones verberarent dormientem, etiam has sibi Venerem iussit habere. Viro nupta dotem virginitatem attulit, & arrham virginitatem vicissim ab ipso accepit; quæ ut tuta in thalamo etiam dormiret, humi hunc stravit, vilibusque panniculis, licet è principe familiâ esset, involvit. Quæ virtus ita cæli Reginâ cepit, ut vultu blandissimo CATHARINAM intueri sit visa, at torvis oculis socrum, quod vestium luxum hæc amaret. Interim centonibus CATHARINÆ DEVS purpuræ splendorem non semel addidit. Romæ cum ageret, pudicitia custodem B. Sebastianum sibi legit, opemque sapius ejus præsentem sensit. Gravius nihil aggressa est vel facere ipsa vel alteri suadere, quam VIRGINEM Angeli verbis salutasset. Ca-
stiga-